

5.6.517

Digitized by Google

DE

TORMENTIS.



LUCÆ

CUM SUPERIORUM APPROBATIONE

CIↃ. IↃ. CC. LXVI.

Parum est quidquid hinc hauris.

DE TORMENTIS.

Sententiam Stoicorum ſpernens, quæ ab humanitate, & ſapientia plurimum abhorret, pœnas in reos conſtitutas eorum-

rumdem præcellenti induſtriæ, vel doctrinæ, avorum meritis, magnorum hominum obſecrationibus, clementiæ denique, quæ ampliſſima eſt, & propria Regum virtus, quandoque condonandas eſſe, niſi publica utilitas ſeveritatis exemplum requirat, una cum pluribus ſentio. Affirmare autem non dubito, natura aſperos, atque iniquos videri eos, qui ſententiam in-

innixam confeſſioni in cruciatibus expreſſæ executioni mandari jubent. Pœnæ equidem, quæ ordinariæ appellantur, non aliunde, quam ex viſceribus firmiſſimarum probationum debent prodire; cruciatorum autem confeſſiones fragilibus, infirmiſque probationibus ſunt adnumerandæ. Magna luce eſt hæc propoſitio circumfuſa, nec obſcurari diu poteſt diſtinctione, qua-

tor-

tormentorum Patroni conantur oſtendere, confeſſionem in cruciatibus editam parvi eſſe ducendam; confirmatam vero poſt cruciatus vim gravis probationis acquirere. Ad vitioſæ enim hujuſce diſtinctionis caliginem diſcutiendam, confeſſionis etiam repetitionem, quæ poſt cruciatus elicita dicitur, in cruciatibus elici paucis demonſtrabo: ideoque innoxii viri tormentis devoti veſtigia

pri-

primum perſequar. Educitur miſer ex anguſto & obſcuro carcere, in quo compedibus, cateniſque conſtrictus, ſordium, & ſqualoris plenus, fame, frigore, vigiliis, funeſtiſque curis conficiebatur, atque ſatellitibus ſtipatus ad cruciatuum locum accedit. Ibi inſontem ſe eſſe ad interrogata reſpondens tormento admovetur. Angitur propior pœnis, & pavore concutitur; ſed quoniam

niam mœrenti fletu nulla ſe culpa teneri iterum clamat, & Dei, atque hominum fidem implorat, cruciatibus ſubiicitur. Sanguis ſtatim auſtero, atque inordinato motu cietur, venæ omnes, nervi, lacertique flectuntur, quatiuntur oſſa, & omnes partes, quæ junctione aliqua tenentur, tanta vi dirimuntur, ut animus tam inſolita ſui domicilii perturbatione horreſcat. Quare ingemiſcit

ſcit reus, & intolerabiles, quibus conficitur, dolores mitigari obteſtatur. Sed judex durior, ac aſperior evadens eum anguſtis interrogatiunculis pungit. Rurſus miſer affirmat ſe nemini injuriam feciſſe, & ſine noxa torqueri conqueritur. Diſputatio deinde, ut eſt funeſta in tormentis conſuetudo, inter judicem & reum ſæpe renaſcitur; at reus tandem magnitudine dolorum

vim ejulandi amittens, ac etiam, atque etiam interrogationibus preſſus, cum jam tortor, atque tormenta ipſa videantur defeſſa, fatetur patraſſe facinus, cujus auctor forte eodem tempore epulatur, aut placide quieſcit. Coacte igitur primo abdicandi ſe jure vivendi pignore dato, e tormentis dimittitur, ac ſudore exundans, & ſemimortuus a ſatellitibus, qui eum labentem

tem ſuſtinent, cuſtodiæ iterum traditur. In duro ſtatim, ſordidoque lectulo ſe ægre proſternens frequentia ab imo pectore ſuſpiria ducit, quæ triſtium ſunt ſigna curarum, atque acerbitatis dolorum, a quibus continuo laniatur. Sed antequam ſpatium ad ſe colligendum habeat, horrifero januæ carceris ſtridore monetur, novas ſibi parari calamitates. Adveniunt ſatellites,

atque ab his pedetentim, quolibet enim motu dolores acerrime refricare cogitur, ad judicem adducitur. Odioſis rurſus vexatur interrogationibus, heſternam ſibi obiici confeſſionem audit, & certo ſcit, nova ſibi cruciamenta impendere, ſi eam contrariis reſponſis evertat. Omnes interim artus ei videntur ardere, vivax enim adhuc eſt ſenſus heſterni doloris; metuit tormenta, et-

iam-

iamſi non adſint, & impendentis doloris cogitatione valde torquetur. Mors vero, quæ, vitæ curſu conſpecto, nunquam longe poteſt abeſſe, eum ſe ab omnibus miſeriis liberare pollicetur doloribus adeo brevibus, ut evaneſcant pene ante quam venerint. Hæc omnia miſer perturbato revolvit animo, & vix in graviſſimo malo ſui compos lugubri tandem lamentatione confeſſionem

nem mendacem comitatur, qua ſibi mortem, ſuæque familiæ egeſtatem, dedecuſque parat. Quid eſt quæſo confeſſionem in cruciatibus edere, & confirmare, ſi hoc non eſt? Sed ut graviſſimis undique premantur difficultatibus tormentorum defenſores, orationem ad exempla traducens, eas a metu dolorum, qui brevitate temporis, & vivacitate comparandi non ſunt

cum

cum his, qui a reis in tormentis perferuntur, tenebras obfundi quamplurium animis demonſtrabo, ut ad illos vitandos mortem occumbant. Terebrationibus, & uſtionibus nonnumquam, amputationibus aliquando, & inciſionibus quorundam morborum radicem ſe extracturam Chirurgia pollicetur. Sæpe tamen contingit, ut ægroti, etſi liberaliter educati virtutis fomentis dolorem

ali-

aliquantum lenire poſſint, contemnentes Medicorum conſilia, atque amicorum preces, mori potius velint corruptione edita ab inflammationis vi, qua tandem infirma pars vehementer conflictatur, quam doloribus angi, ut ſaluti ſuæ conſulant. Occurrunt paſſim, ſi Medicos ſciſcitemur, atque hiſtorias percurramus, Attici imitatores. Præſtabat is tanta docilitate ingenii, ut Lucullum

lum, cujus difficillimam naturam nemo ferre poterat, ad extremam ſenectutem ſumma benevolentia fuerit proſequutus. Philoſophiæ autem præceptis optime erat imbutus, ideoque perpetua conſtantia, & patientia in difficillimis Romanæ Reipublicæ temporibus optimatum omnium benevolentiam ſibi conciliaverat. Poſtquam vero ex putris fiſtulæ curatione graves ſibi dolo-

res imminere ſenſit, Philoſophiam oblitus, atque amicorum preces invincibili obſtinatione ſpernens, quolibet ſe cibo abſtinuit, ut e vita migraret.

Plurima his, quæ dixi, adici poſſent ad docendum vehementis doloris metum, etſi brevis; ita gravem & tetrum multis hominibus eſſe, ut vitæ levari vinculis, quam cruciari malint. Sed quæ perſpicua ſunt, longa eſſe non debent.

Quam-

Quamobrem excutiendum modo eſt, an contemplatione futurarum calamitatum, quæ motum valde aſperum in corpore non efficiunt, & expectatione boni, curiſque ad voluptatem traductis, leniuntur, ideoque ſine patientiæ oſtentatione tolerari poſſunt, homines aliquando animum ita contrahant, ut vitam velint cum morte commutare. Maxime quidem in hoc vis eſt

perſpicua naturæ, qua abhorremus a malo, cum non neceſſariis etiam commodis aliqui ne careant, plurimis damnis poſt quæſtuoſam mercaturam contractis, aut patrimonio effuſo, ſibi mortem conſciſcant. Non ne videmus aliquando paucas legiones militum in arcibus obſidione clauſis, ſi aliquot dies parvam cibi partem ſibi ſubducendam eſſe intelligant, con-

cla-

clamare ad arma, atque enixe rogare imperatorem, ut cum validiſſimo exercitu committat pugnam, ex qua ſe evaſuras non eſſe perſpiciunt? Non ne videmus reos interdum in carceribus induſtrioſis, difficilibuſque modis ſibi mortem inferre? Sæpius profecto homines in vincula conjecti hujuſmodi ſpectacula præberent, niſi ligaminibus quibuſlibet, cultris, fibulis, aliiſque rebus ſpolia-

liati quotidie a carcerum cuſto-
dibus diligentiſſime inviſeren-
tur judicum mandato, quo in-
tolerabilis eorumdem contradi-
ctio probatur: timent enim ne
rei frequenter mortem malint
obire, quam diu loci gravita-
tem, aut verbera, aliaſque
ignominioſas pœnas, quamvis
breves ſuſtinere; & crudeli ſi-
mulatione affirmant, miſerum,
cui nihil videtur eſſe mali,
quod non & ſuſtinuerit, ſuffe-
rat,

rat, & expectet, difficillime mendaciis mortem arceſſurum. Expromeret tamen quid ſentiret quilibet judex, qui infeliciter turpem perſonam calumniæ ferens, prætorio cum carcere, abundantia cum egeſtate, atque inquirendi, & interrogandi munere cum difficili reſpondendi officio commutatis ad equuleum ire cogeretur. Revolveretur tunc ad Sileni monitum, qui Midam

do-

docuiſſe dicitur, *non naſci hominem, longe optimum eſſe; proximum autem quamprimum mori.* Miſeram hanc ſententiam, ſed veram, ſi vitæ tantum commoda, & calamitates perpendantur, in Sileni fabula ad utilitatem conſcripta obliviſci homines in rebus ſecundis conantur; ipſius autem vi ſapientiores etiam premuntur, ſi malum, aut metus, qui eſt crucians opinio impendentis ma-

mali, eorum mentem percellat.

Sed violentiæ, quam hominum animis tormentorum metus adfert, teſtes modo ex ſacrorum Annalium monumentis excitentur. Jam vero prodeunt pii, & ſummi nominis viri, ut mœſtiſſimum teſtimonium reddant: nil aliud exoptaſſe ajunt, niſi ut Deum recte colerent, ac puritatem religionis ſervarent:

multas hauſiſſe calamitates, & imperturbata forſitan fronte mortem obituros fuiſſe, ne ſuas de pietate, & ſanctitate adverſus Deum opiniones contrariis verbis, aut ſuperſtitioſis actionibus inquinarent; Tormentorum tamen minis ſuum animum fuiſſe veluti gradu motum, atque eorumdem adſpectu, ac metu adeo concitatum, ut ſe cohibere non poſſet. Ideo, inquiunt aliqui, mi-

miracula, & portenta ſomniantium, anicularum etiam fide indigna, a nobis vera credi affirmavimus: ſimulacris, ſubiiciunt nonnulli, vel aliis mutis, & inanimis rebus, quibus Tyranni noſtros pulſari volebant animos, genua ſubmiſimus: alii vero Diis hominum ſimilibus, atque ea facie notis, qua Pictores, Fictoreſque voluere, ſe honores & cultus adhibuiſſe dicunt.

Si igitur pii & ſapientes viri tormentorum formidine a religione viſi ſunt declinare, etſi eam plus vita ducerent, & vehementiſſime inviderent gloriæ illorum, qui pectinibus ferreis, equuleo, fidiculis, aliiſque modis atrociſſime cruciati novos humanæ fortitudini terminos conſtituerant, cujus quæſo ponderis erit confeſſio reorum tormentis expreſſa, & tormentorum metu con-

confirmata? Sed jam quærendum eſt quibus initiis tormenta fuerint excitata. Conſtat profecto ignotum olim fuiſſe Regium nomen & homines, qui omnia veluti communia reſpiciebant, naturalem ſtatum deferentes Principibus parere, & quaſi ſe conſecrare ſtatuiſſe: Principes vero fuiſſe pollicitos, auctoritate, quam populi ipſis conferebant, æterna lege duce, civitatum incolumitati con-

conſulere, atque ad publicam utilitatem omnia accommodare. Levis Hornii opinio ſtabili huic ſententiæ, & una cum hominum ætatibus inveteratæ contraria generali cenſura extabuit, & proſpere quidem : inſigni enim temeritate, quæ eſt in omnibus turpis, ſed maxime in his, quibus Reipublicæ jura turbantur, dum Principibus aſſentari videbatur, eorum au-

ctoritati fundamenta ſubduce-
bat; nimiaſque edidiſſet rui-
nas, ſi plurimos in ſuum er-
rorem induxiſſet. Quiete e-
nim debent vivere cives, quo-
uſque credant ea, quæ gerun-
tur, ſua geri vi, hiſque rebus
imbutæ mentes numquam ab-
horrebunt ab obedientia, ac
ſincera in Principes fide, &
obſequio. Eſſet autem peri-
culum, ne non Reipublicæ ſta-
tus labefactaretur, ſi populi
cre-

crederent Imperium violenter antiquitus fuiſſe a Principibus occupatum, ſuamque obedientiam effectum eſſe tantummodo animi juſto arbitrio carentis. Alte his, &, ut oportet, a capite repetitis, ad vim, naturamque pactionum, quibus ad civilem communitatem homines conſociati fuere, quibuſque in Reipublicæ adminiſtratione omnia ſunt metienda, tormentorum inſtitutum, re-

referri non poſſe, planum faciam. Jus etiam vitæ & necis iiſdem adverſari pactionibus, ac nefas eſſe homini hanc in ſe poteſtatem alicui tradere, nonnulli putarunt: Verum ſi de jure, uti vocant, indirecto ſit quæſtio, conſentaneum prorſus eſt officio Principis vitam Civium in extremum periculum adducere, ut hoſtium injurias propulſent, & civile corpus, cujus ſunt

membra, defendant. Si autem de directo jure ſit ſermo, ſentio quidem ſalutare ipſum eſſe, & neceſſarium, dummodo nobis, ne pernicioſo labamur errore, ratione profecta a rerum natura ſit perſuaſum, improbos, qui laqueo, vel ferro a Republica depelluntur, his ſe ſceleribus inquinaſſe, ut ad vitam Civium tuendam, ac Reipublicæ quietem confirmandam capite plecti

cti meruerint. Hi autem, qui hoc præclarum jus antiquis temporibus conferre Principibus optimum duxere, legibus parere cogitantes, in eo non poteſtatem injuriæ ſibi faciendæ, ſed auxilii ferendi reſpiciebant. Hunc a re non longa digreſſione locum tetigi, ut nihil me ſacris Imperii juribus detrahere, & argumentis, quæ ſententiam iiſdem infeſtam non fulciunt,

meam de tormentis confirmari demonſtrem. Talis porro ſæpe eſt rerum humanarum conditio, ut illarum cognoſcamus eventus, cauſaſque neſciamus, atque multa, dum eas quærimus, caſus affingat, aut detrahat. Accidit enim ut quædam ſigna dubia ſint, & alia lateant, quibus illa explicarentur. Poteſt etiam evenire, ut ſenſus male ſuo officio fungantur ita ut aliqui vi-

vidiſſe Cajum, cum Titium viderint, vel cum Cæſaris audiverint, Pompeii vocem ſe audiviſſe dubitent. Nonnullis quoque falſis adjungi poſſunt aliqua vera, ea ſimilitudine, ut dubium ſit an alia ex aliis fluant, & omnia ſint inter ſe colligata. Multa præterea male ſæpe interpretata ſunt, non rerum vitio, ſed interpretum inſcientia; multa vero obſcurata contradictioni-

nibus, quibus rei, innumeris defeſſi, ac perturbati interrogationibus, ſe implicant. Ex his tamen obſcuris latebris, atque receſſibus Judices ſemiplenam, cui torquendi reos decretum ſuperſtruunt, probationem eruere dictitant. Temere profecto fucoſa hæc verba fuerunt a conſuetudine approbata: conjecturæ enim non adhibent perſuadendi neceſſitatem, ſed aliquando ad ve-

veritatem dirigunt, fallunt nonnumquam ; ideoque nulla ex ipſis probatio eruitur, ſed quæſtio tantum exoritur, an reus adſtringatur crimine, cujus accuſatur. Quare Auguſtinus in cap. 6. lib. 19. de Civitate Dei ſapienter ſcripſit : *cum quæritur utrum ſit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas, non quia illud commiſiſſe detegitur, ſed quia non commiſiſſe neſcitur,*

ac

ac per hoc ignorantia Judicis plerumque eſt calamitas innocentis. His recte perpenſis ad naturam pactionum, ex quibus omnis auctoritas, leges, & mores Civitatum perſcribendi eſt penitus haurienda, tormentorum inſtitutum corruptelam eſſe malæ conſuetudinis reperiamus oportet, niſi omni veritatis luce in animis noſtris extincta, affirmemus, majores noſtros, cum omnibus opibus, at-

atque viribus elaborarunt, ut ad comunem hominum utilitatem Reſpublicas conſtituerent, ſuo propoſito conſentaneum credidiſſe, in rerum occultarum inveſtigatione, quarum veritas intelligentiæ Judicis vim effugeret, ſuas, poſterorumque famam, vitam, atque fortunas tormentis committi; & virtutem, quæ ſæpe tantas vires non habet, ut ſe ipſa defendat, & famula for-

tunæ eſt, novis calamitatibus addici. Perperam igitur labem pravæ conſuetudinis, quæ ſemper Imperii ſplendorem, & populorum jura inquinans non poteſt diuturnitate vaneſcere, commentitiis verbis eluere, ac juſtæ conſuetudinis involu.ris tegere, quamplures ſcriptores cogitarunt. Veruntamen pene omnes prodierunt ex grege eorum, qui juriſdictionem miſeros ſubiiciendi cruciatibus,

bus, atque uno tantum gradu a tortore diſtandi plurimi faciunt, acriterque tuentur. At obviam huic minutorum ſcriptorum turbæ clariſſimi, & doctiſſimi viri nati ad diſpellendas ignorantiæ tenebras, quæ ad humanæ ſocietatis perniciem omnia miſcet, & turbat, infeſtis ſignis progreſſi fuere. Conſentientes ſane ſunt auctoritates Clerici, Montagne, Charonii, Grotii, Thomaſii,

Barbeyracii, aliorumque doctiſſimorum hominum; atque eorumdem ſententiam nuperrime defendit ſublimis ingenii auctor in libro, cui titulus *De' Delitti, e delle Pene*.

Sed quoniam aliqui Principes conſiliis, ſæpe eventu triſtibus utuntur eorum, qui juris Naturæ & Gentium ſcientiam extolli iniquo animo ferunt, ad Romani juris cynoſuram argumentum dirigamus.

Qua-

Quæſtioni fidem non ſemper (in Lib XLVIII. Tit. XVIII. de quæſtionibus Leg. 1. § 23. Digeſt. Cæſarei Juriſconſulti ſcripſerunt) *nec tamen numquam habendam, Conſtitutionibus declaratur: etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia, ſive duritie tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo poſſit; alii tanta ſunt impatientia, ut in quovis*

men-

mentiri, quam pati tormenta velint: ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum ſe, verum etiam alios comminentur. Nil eſt equidem in his tortuoſum, & obſcurum, quod ad conjectores ſit deferendum. Si igitur a pleriſque ita tormenta contemnuntur (libenter verba legis iterum recito) *ut exprimi eis veritas nullo modo poſſit; alii tanta ſunt impatientia, ut in quovis mentiri, quam pati tor-*

tormenta velint, uti nos rationibus hucuſque contendentes demonſtravimus, perfugium crimini, dedecus, ac necem innocentiæ ſæpe tormenta parabunt. Quis autem ignoret *ſatius eſſe*, uti legimus Digeſt. Lib. XVIII. Tit. XIX. De Pœnis Leg. V. *impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.* Gravibus antiquorum Philoſophorum argumentis, quibus hæc ſententia com-

pro-

probatur, clariſſimum de la Bruyere lumen adhibuit: *Un Coupable puni* (ait idem) *eſt un exemple pour la Canaille: un Innocent condamné eſt l' affaire de touts les honnetes gens*. His poſitis, aliqui ad concludendum me ſumere arbitrabuntur tormentorum inſtitutum penitus eſſe delendum. Quamvis vero contra effrenatum torquendi modum plurima conquiſierim; ne tormenta Divinæ menti, a

qua

qua ſunt nobis agendi ſemper capienda primordia, populorum juribus, & Imperii Majeſtati repugnare videantur, ſapienti tantum temperatione opus eſſe concludo. Neque latet hæc craſſis circumfuſa tenebris; ad cogitandum enim animum intendens, concedendum perſpicio, poſſe torqueri reos veriſimilibus preſſos, ſi de criminibus agatur, quæ Principem, atque Rempublicam

graviter lædant, aut alicujus vitam in diſcrimen vocent, non ut vi confeſſionis in tormentis, vel metu tormentorum editæ, ſed firmiſſimarum ſolummodo probationum, ad quas fortuito lumen aliquod in confeſſione Judicibus porrectum adduceret, pœnas a legibus ſtatutas luant una cum his, qui Socii culpæ in tormentis vocati, non diſſimili ratione, eadem fœdati deprehen-

hendantur. Si quis vero doleat, temperationem hanc ab iniquitate non procul abeſſe, demiſſe reponam, eam eſſe humanæ mentis infirmitatem, ut in ſanciendis nonnullis legibus Reipublicæ neceſſariis nequeat optimum attingere; ideoque eas præ cæteris eſſe probandas, quæ, diligentiſſime momentis officiorum omnium perpenſis, quam longe poſſunt, ab odioſis injuſti-

ſtitiæ finibus abſunt, & publicæ utilitatis præſidio ſe tegunt.

Neque temere me opinari arbitror, ſi abrogandam non eſſe legem affirmo, qua in aliquibus regionibus ſancitum eſt, capitalium criminum reos etſi pleniſſime convictos, cum ſe inficiatione defendunt, morte non eſſe plectendos, niſi confeſſione tormentis expreſſa urgeri videantur. In quæſtioni-

nibus enim facti morali plerumque certitudine progredimur, quæ eſt gravis, uti vulgo dicitur, præſumptio argumentis valde veroſimilibus innixa. Ea tamen, quæ veriſimillima ſunt, non ſemper ſunt vera. Fallimur namque aliquando ſignis etiam fere numquam mentientibus, fallimur aliquando teſtibus, ideoque aliquos nonnumquam, qui nihil culpæ habent, culpa teneri credimus.

mus. Nemo verum his miſerior fingi poteſt, ſi nequeant arduum omnino opus conari perferendi dolores acerrimos, ut injuſtam mortem repellant. Scio equidem obiici ab illis, qui publicam felicitatem ſuppliciis omnino videntur concredere; fieri hac ratione poſſe, ut aliquando facinoroſi homines mortem effugiant. Eſto; ſed præruptam ne, deterrimamque viam, in quam

ſe

ſe pauci feliciter dant, Princeps obſtruet ad certum, perpetuumque infortunatorum exitium, quia eam feliciter ingredi nonnulli improbi poſſunt? Raro profecto Princeps, qui non ſit Principi diſſimilis, mœrore premetur dubitans, aliquem in diro tormentorum certamine, ſincera patrati criminis confeſſione non edita, ſuperiorem evaſiſſe; imo ſæpe in hac cogitatione delecta-

ſtabitur : ſed tetræ eum curæ, animique conſcientiæ terrebunt, ſi, conſuetudine reos non confeſſos quamvis plene convictos torquendi ſublata, innocentes omnes, qui, ſævo a fortuna vulnere accepto, convicti rei perſonam gerant, quolibet a ſe bene ſperandi jure privatos fuiſſe perſpiciet.

Cum naturæ norma, ad dignitatem Imperii, & infortunatorum defenſionem hæc di-

re-

rexerim Principes obſecro, ut, cunctationibus abjectis, tormentorum temperent inſtitutum, in quo poſteri improbitatem, ſævitiamque demirabuntur, uti nos in antiquis ferri candentis, ac aquæ calidæ, & frigidæ purgationibus, quæ appellabantur vulgares, & ad veritatem detegendam adhiberi dicebantur, ridiculoſam ſuperſtitionem demiramur. Atque ut humili meæ, infirmæ-

que obſecrationi aliquid ponderis adiiciam, utar voce, qua miſeri omnes ſine noxa cruciati, ſi poſſent loqui, uterentur, quaque ſacris Galliæ præſulibus abrogationem impii fatuorum feſti Pariſienſium Theologorum celebre Collegium ſuaſit. *Nolite* (ſubiicio partem ejuſdem Collegii Epiſtolæ, quæ extat in appendice Operum Petri Bleſenſis typis tradita anno 1667.) *ſubdolas*

las hominum voces audire ſic dicentium: „ *Pradeceſſores noſtri,* „ *qui erant notabiles viri reputati, iſtud permiſerunt, ſufficiat nobis vivere ut ipſi:* „ *proculdubio iſtud argumentum diabolicum eſt, & infernalis hæc perſuaſio.* Multa quidem luxurioſa inſcientiæ germina remanent, quæ fatuorum feſtis proculdubio magis pernicioſa ſunt: Hæc autem a Principibus prudentem, fortemque Reſpubli-

cas adminiſtrandi rationem non ignorantibus libenter evellerentur: ſed ne populi vindicentur ab erroris impetu, perſæpe impediunt hi, qui doctrina jejuni, timoris ſervi, & pecuniæ cupidi luteis conſiliis puriſſimas fœdant ſententias, ſplendidaſque diſputationes effugientes ſemper clamant *Prædeceſſores noſtri, qui erant notabiles viri reputati, iſtud permiſerunt, ſufficiat nobis vivere ut ipſi.* Qua-

Quare mihi videor poſſe veriſſime dicere, diuturnæ, atque ignominioſæ ſervitutis finem nos fruſtra exoptaturos, niſi præclara exiguæ proborum, doctorumque hominum cohorti auxilia, adjungantur, ut glorioſe poſſit magnam Regiæ dignitatis, atque utilitatis publicæ inimicam turbam proſternere. Hoc autem fieri non poterit uſquedum obfirmato Principum ſtudio ſcientiæ non ex-

excitentur, atque juvenes ea ratione erudiantur, ut veris ſententiis addicti inhonoratam, ingloriamque vitam ſpernant, atque ſentiant, ea tantum bona eſſe, quæ ſunt homine digna.

FINIS.

I 2.6.52

Fin 2.52.53

00565347